

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

zu

Greiffenberg in Pommern.

XXII.

Ostern 1874.

INHALT: 1. De orationibus operi Thucydido insertis, von Dr. Roesener.
2. Schulnachrichten, vom Director.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

STUDIES IN THE HISTORY OF THE UNITED STATES

EDITED BY
ALBERT B. HOWLAND

Dionysius Halicarnassensis in tribus libris qui inscribuntur *περὶ τῶν Θουκυδίδου ἰδιωμάτων, περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος, ἐπιστολὴ πρὸς Γναῖον Πομπηῖον* singulari quodam ingenii acumine cum Thucydidis historiae totius compositionem atque elocutionem variis castigavit reprehensionibus, tum de orationibus operi ab historico insertis ita disseruit, ut in earum delectu ac fide historica multa a Thucydide esse peccata contenderet. Cujus arbitri sane inter veteres arbitros clarissimi judicium per diu secuti omnes fere, qui sunt versati in pervestigandis scriptoris historiae libris editores interpretesque id effecerunt, ut ab ejus historia legenda et ipsi deterrerentur et deterrerent alios. E quibus Abreschius in „diluclationibus Thucydideis“ cum opinionibus temere conceptis teneretur neque iis sese expedire posset, praesertim cum subtili linguae Graecae cognitione careret, maxime in verborum ordine constituendo tantum sibi indulsit¹⁾, ut nihil tam contortum tamque absonum cogitari possit, quod ille a Thucydide scriptum esse non contenderit. Reiskii autem quale fuerit judicium de orationibus operi Thucydideo insertis satis docet praefatio illa plena verbis horridissimis, quam praemisit versioni orationum germanicae²⁾. Nec multo rectius argutiusque judicaverunt quamquam non tam inflatis verbis Gottleberus atque Bauerus in editionibus Thucydidis.

Attamen fuerunt quoque, qui vehementer studioseque repugnarent. Nam quamvis plerique vel pauca monuerint, ut Creuzerus „Herodotus et Thucydides pag. 86 seq.“ vel non totam amplexi sint disputationem, ut Heilmannus „Critische Gedanken von dem Character und der Schreibart des Thucydides in ejus opusculis a Danovio editis vol. II pag. 92 seq.“ et Schlosserus „Nov. Mus. German. 1790 fasc. 2“, tamen ad Dionysii judicium refellendum abunde jam dictum est ab aliis, veluti Levesquio „excursion sur le jugement que Dénys d'Halicarnasse a porté sur Thucydide in Interpret. Gall. tom. IV pag. 319 seq.“, a Gailio „memoire sur Thucydide pag. 93 seq.“, imprimis autem a Pop-

¹⁾ Cfr. Poppo prolegomena pars I pag. 86 seq.

²⁾ Adfero praefationis verba sane tumida haec: Thucydidis Kürze besteht in kurz abgestutzten und nach einer gewissen Elle verschnittenen Perioden, mit frostigen Wortspielen, ekelhaften Antithesen, greulichem Verwurfe der Worte, über alle Massen harten und unerhörten Wortfügungen, die selbst die geborenen alten Griechen und die grössten Verehrer des Thucydides nicht verdauen können, sondern solocismos, d. h. Sprachschnitzer schelten, die sich auf keine Weise entschuldigen lassen und die man nur so ganz, wie sie sind, ungekaut mit Haut und Haaren verschlucken muss u. s. w.

pone in prolegomenis ad Thucydidem et a Kruegero ad Dionysii Halicarnassensis historiographica¹⁾.

Plerique vero veteres Thucydidis editores Dionysii iudicio tantum tribuerunt auctoritatis; ut quae a iudice illo prolata essent, summa cum socordia repeterent neque quicquam adderent novi; quare accidit, ut Thucydidis historia longum per temporis spatium vel a viris doctissimis perverse iudicata hoc demum saeculo ratione librorum indole digna iudicetur. Itaque cuique in historici libris explicandis hodie versanti longe recedendum est ab illis editoribus, qui Dionysii iudicium sunt secuti ac potius sequendum ea, quae prolata sunt a Poppone, Classenio, Kruegero, Blomfieldo, Arnolde aliis viris de Thucydidis interpretatione optime meritis. —

Et quoniam mihi proposui de orationibus operi Thucydideo insertis uberius disserere, primum priusquam ad orationes ipsas illustrandas accedam, nonnulla praemittenda videntur esse, qua ratione iudicaverit Thucydides et de rebus sacris et de civilibus, quo facilius accuratiusque scriptoris ingenium atque indolem, quatenus luculentissime appareant ex orationum natura, cognoscere possimus atque perspicere. Quam ad rem bene tractandum videamus, quibus doctrinae praesidiis praeter ea animi instrumenta quae natura habuit instructus fuerit Thucydides.

Ac primum quidem eum fuisse scimus discipulum Anaxagorae, inter veteres philosophos haud dubie illustrissimi, qui primus rerum causam, ad quam omnia referri oporteat, non esse materiem quandam, sed intellectum infinitum et sempiternum (*νοῦν*), omnia servantem et regentem ex certis legibus principiisque iudicavit. Quod quidem et ipsa scriptoris historia elucet et satis demonstratur veterum testimoniis. Praeceptore vero artis rhetoricae usus est Antiphonte Rhamnusio²⁾, quem ipse cum floruerit egregia eloquentiae gloria, his effert laudibus in libri VIII cap. 68:

Καὶ ἐκ πλείστον ἐπιμεληθεὶς Ἀνιφῶν ἦν ἀνὴρ Ἀθηναίων τῶν καθ'εάντων ἀρετῆτε οὐδενὸς ὕστερος καὶ κράτιστος ἐνθνηθηναίαι γενόμενος καὶ ἃ γροίη εἶπεῖν κ. τ. λ.

Quantum autem valuerit consuetudo cum Anaxagora philosopho atque familiaritas non solum probatur ea ratione qua iudicat de oraculis et de prodigiis sed etiam ex orationibus luculenter apparet, quibus condicionem suam sibi ipsi parare hominem nec attribuere Fortunam demonstrat argumentis. Quare fatum quo cuique homini sors attribuitur secundum logographos et Herodotum non agnoscit sed cum in unoquoque homine insit potestas libertasque agendi, hominem sibi ipsi condere sortem persuasum habuit. Neque vero rerum gestarum causas ex deorum numine petendas, sed in humano ingenio quaerendas esse iudicavit atque omnium rerum prosperum eventum ponendum esse censuit in hominum prudentia atque temperantia, quae quoniam omnia pericula atque calamitates perfacile superaret, in vita communi summa quasi ars exercenda esset atque colenda. Eademque de causa iis, quae religione sancita deorumque interpretum atque ministrorum auctoritate confirmata erant, fidem non habuit ut Herodotus neque oraculorum saepe fecit mentionem neque ea quae praeter consuetum rerum ordinem et hominum expectationem evenerunt, a diis repetiit, sed philosophiae luce abductus a superstitione

¹⁾ Cfr. Goelleri praef. ad ed. pag. 19.

²⁾ Non credo quempiam consentire Kruegero „Untersuchungen über das Leben des Thucydides pag. 37 seq.“ sine ulla causa adfirmanti historicum magistrum fuisse Antiphontis, non discipulum, quoniam et multi inter veteres exstant testes et ratio temporum ipsa docet Thucydidem scholis rhetoris illius interfuisse.

atque alienus ab illis erroribus vel a majoribus proditis vel ab aequalibus imprudenter acceptis semper quid esset verum in unaquaque re summo studio pervestigavit¹⁾.

Sophistarum veluti Protagorae, Prodicī scripta perlegisse Thucydidem testimonio Marcellini probatur, quanquam illum eorum scholas frequentasse non certum est. Attamen Gorgiae praecepta rhetorica imitatum esse historicum cum ex aliis, tum ex Cleonis orationibus intellegitur, quippe quae excellent figurarum usu frequentissimo. Ac tres potissimum figurae erant, in quibus versabatur Gorgias: ἀνίθειον, παρίσωσις, παρομοίωσις²⁾. Quapropter non mirum est fuisse, qui adducti similitudine, quae inter Gorgiae et Thucydidis dictionem intercedit, hunc illius discipulam haberent³⁾. —

Maxime vero ad animum expoliendum contulerunt fabulae et tragicorum et comicorum poetarum, qui illo ipso tempore summa poeseos laude effloruerunt. Quare summum studium operamque navavit Aeschylī atque Euripidī fabulis, id quod plane elucet ex verbis illis, quae scholiasta adnotavit ad libri IV finem: ἰστέον ὅτι εἰς τὸ κορυφὸν τῆς γραφῆς Θουκυδίδης Ἀισχύλον καὶ Πίνδαρον ἐμιμήσατο, εἰς δὲ τὸ γόνιμον τῶν ἐνθουσιματίων τὸν εἰναιὸν διδάσκαλον Ἀντιφῶντα, εἰς δὲ τὴν λέξιν Προδίκον, ὄθεν καὶ Προδίκον λέξεις ἐν τῷ κειμένῳ σημειούμεθα, εἰς δὲ τὸ γνωμικὸν τοὺς Σωκρατικούς, Εὐριπίδην καὶ τοὺς ἄλλους (τοῖς γὰρ αὐτοῖς χρόνοις ἦσαν) εἰς δὲ τὴν οἰκονομίαν τὸν ποιητὴν.

Haec reputantibus nobis jam per se admodum verisimile videtur Thucydidem qui principum consuetudine in quovis genere litterarum utebatur, multa in suum usum convertisse, quae illi de dictione conformanda docuerunt. His enim doctrinae praesidiis institutus, historicus eminebat singulari quodam cogitandi acumine atque rara animi sagacitate acieque, quare factum est ut novum quoddam historiae conscribendae genus instituerit, quoniam omnes alios veteres historicos vera a falsis discernendi arte superavit.

Neque vero multitudinis imperium intemperatum neque obsoletam illam Lacedaemoniorum potestatem regiam laudibus⁴⁾ effert, sed ubique celebrat et praedicat „ἀριστοκρατίαν σώφρονα“. Populari enim imperio minime favet, id quod jam perfacile colligi potest ex verbis quae Cleonem loquentem introducit in libri III cap. 37: πολλὰκις μὲν ἤδη ἔγωγε καὶ ἄλλοιτε ἔγνωμεν δημοκρατίαν, ὅτι ἀδύνατός ἐστι ἐτέρων ἄρχειν μάλιστα δὲ κ. τ. λ.

Ipse quidem egregio semper inflammatus patriae amore civitatis optimatum nutu atque consilio gubernatae formam anteferendam esse iudicavit populari imperio atque po-

¹⁾ Cfr. Creuzer „historische Schriften pars III pag. 220“: der Historiker Thucydides trennt seine Ansicht ungewöhnlicher Naturerscheinungen oder gewisser religiöser Institute von der seiner Zeitgenossen mit einer sichtbaren Schärfe und zeigt einen gebildeten Beobachtungsgeist, wie man dies von einem Schüler des Anaxagoras erwarten konnte.

Quantopere vulgi sententias de oraculis et de prodigiis contempserit Thucydides satis declarat ipse exemplis luculentissimis, quorum ex numero adfero haec, quae inveniuntur: I, 126; II, 28; II, 48; II, 58; III, 89; V, 103; VII, 50; VII, 79; VIII, 1.

²⁾ Cfr. Cic. or. cap. 52 § 175: „paria paribus adjuncta et similiter definita itemque contrariis relata contraria, quae sua sponte, etiamsi id non agos, cadunt plerumque numerose, Gorgias primus invenit: sed his est usus intemperantius. Cfr. ibid. cap. 49 § 165. Quint. IX, 3, 74.

³⁾ Marcellinus in vita Thucydidis par § 51: πολυειδής δὲ ἐν τοῖς σχήμασι τὰ πολλὰ καὶ τῶν Γοργίου τοῦ Ἀεοντίου μιμούμενος.

Vide Poppo prol. pars I pag. 252 et Classen in editionis pag. 17.

⁴⁾ Cfr. Poppo prol. pars. I pag 64 sq. et Pfau „meditationes criticae de orationibus Thucydeis pag. 25“.

testatam Pericli a populo datam, sed certis finibus circumscriptam ad civitatis salutem adhiberi voluit et ad Athenarum gloriam augendam.

Optimatum igitur imperio addictus rationem ac formam rei publicae administrandae a Pericle institutam laudibus effert atque ipsum patriae amantissimum rerumque publicarum peritissimum declarat populi ducem¹⁾. Quapropter summam rerum penes καλοῦς Κ'αγαθοῦς²⁾ esse voluit, verum principatum ita ab iis obtinendum censuit ut quam proxime accederent ad Periclis in re publica administranda auctoritatem atque dignitatem.

Quem admodum autem patriae amore floruit Thucydides ita ab ira ac studio in alterutros alienus in bello Peloponnesiaco neque Lacedaemoniorum neque Atheniensium cupidus erat; qua re adeo prae aequalibus excellebat, ut pauci eum aequarent, superaret nemo. Nam quanquam Athenienses eum in exilium miserant, id quod alios permultos viros rerum publicarum studiosos eo perduxit, ut contra patriam vel arma caperent, ipse ne in conscribenda quidem historia Atheniensium virtutes efferre atque praedicare unquam desiit. Repugnat quidem quodammodo incertus vitae Thucydidis scriptor, cum dicat par 4: *Καὶ δοκεῖ πολλὰ χαρίζεσθαι μὲν Λακεδαιμονίοις, κατηγορεῖν δὲ Ἀθηναίων τὴν τυραννίδα καὶ πλεονεξίαν. οὐ γὰρ καιρὸς αὐτῷ κατεπειν Ἀθηναίων ἐγένετο. Κορινθίων κατηγορούντων ἢ Λακεδαιμονίων μεμφομένων ἢ Μιτυληναίων αἰτιωμένων πολὺς ἐν τοῖς ἐγκλήμασι τοῖς Ἀστικοῖς ἐβόη. Καὶ τὰς μὲν νίκας τὰς Λακωνικὰς ἐξῆρε τῷ λόγῳ, τὰς δὲ συμφορὰς ἠΰξησε Ἀστικὰς, ὅπου καὶ τὰς ἐν Σικελίᾳ.* Sed haec plane conficta nobis videntur esse reputantibus Thucydidem non solum non dubitare Atheniensium avaritiam atque in socios insolentiam reprehendere, sed etiam egregiis laudibus virtutes eorum exornare cum in orationibus illis, quae inveniuntur in libro I et III, tum oratione illa funebri clarissima a Pericle habita sive laudatione eorum civium Atheniensium, qui postquam principio belli Peloponnesiaci pro patria occubuerunt ex veteri instituto publice condebantur. Nec Lacedaemonios laudibus extollit sed appellat socordes, lentos, imperitos, priscarum rerum nimis studiosos³⁾, inhospitales⁴⁾ atque difficiles accessu, superstitiosos⁵⁾, suspiciosos⁶⁾ aliaque eorum vitia passim percenset⁷⁾. Cives vero Athenienses vocantur nimis creduli, mobiles, propositi non tenaces, rerum novarum cupidissimi, probatissima quaeque et acceptissima rescindentes, rerum quidem inusitatarum servi, usitatarum contemptores⁸⁾.

Talem scriptorem summo veritatis amore impletum in alterutros ab ira atque studio fuisse alienum cuique apparebit, praesertim cum secum deliberaverit, quanta fuerit in Thucydide Graecarum rerum cognitio, quanta ingenii subtilitas atque sagacitas, quantum iudicii acumen! Nam sicuti ingenium historici luculenter apparet e ratione, qua veterum Graecorum historiam perscrutatus sit, tum qua disserat de causis belli Peloponnesiaci, deinde qua iudicet de populis ac civitatum principibus, denique qua cum seditionum omnium tum Coreyraeorum tumultus describat indolem, ita quae memoriae tradit de antiquis Graecorum rebus et in prooemio et passim in libro I et II, eum Graecae anti-

¹⁾ Cfr. II, 65, ubi legitur: ὅσον τε γὰρ χρόνον προὔστη τῆς πόλεως (scil. Περικλῆς) ἐν τῇ εἰρήνῃ μειοῦς ἐξηγεῖτο καὶ ἀσφαλῶς διεφύλαξεν αὐτὴν καὶ ἐγένετο ὑπ' ἐκείνου μεγίστη.

²⁾ IV, 28: οἱ δὲ (scil. οἱ Ἀθηναῖοι) οἷον ὄχλος φιλεῖ ποιεῖν, ὅσω μᾶλλον ὁ Κλέων ὑπέφυγε τὸν πλοῦν καὶ ἐξανεχώρει τὰ εἰρημένα, τόσω ἐπεκελεύοντο τῷ Νικίᾳ κ. τ. λ.

³⁾ Cfr. I, cap. 69—71; ⁴⁾ I, 78. 144; ⁵⁾ III, 89; ⁶⁾ II, 39; ⁷⁾ IV, 80; ⁸⁾ Cleonis orationem III, 38 sq.

quitatis peritissimum fuisse atque praecipuorum scriptorum libros veluti Homeri, Herodoti, Hellanici pertractasse et pellegisse docent.

Vidimus quorum praeceptorum scholas secutus atque doctrinas imitatus ad illam cogitandi vim atque rationem quae cum ex tota rerum narratione, tum ex orationibus operi insertis plane elucet, pervenerit Thucydides: nunc vero transeamus ad orationes ipsas illustrandas.

Cap. I. Quo consilio ductus orationes publicas inseruerit Thucydides inquiritur. —

Ac primum quidem Thucydidem in instituendis orationibus secutum esse logographos atque Herodotum omnium fere virorum doctorum sententiae per diu inter se consentiebant, sed illos rem non recte dijudicasse a recentioribus criticis clarissima luce circumfusum est. Nam quanquam negari non potest, Herodotum jam historiae immiscuisse orationes, tamen illas breves atque magis familiarium sermonum et narratiuncularum¹⁾, quales cottidie fieri soleant inter homines, nomine dignas fuisse satis patet. Publicas vero orationes in opere suo nondum exhibuisse Herodotum²⁾ jam docet Marcellinus in vitae Thucydidis par. 38 hisce verbis: *διόλιγων γὰρ ἐποίησε* (scil. *Ἡρόδοτος*) *λόγων ὡς προσωποποιίας μᾶλλον ἢ περὶ δημηγορίας, μόνος γὰρ συγγραφεὺς κ. τ. λ.*

Eandem de Herodoti sermonibus sententiam adfert Dionysius in libro qui inscribitur „de Thucydidis historia iudicium VI pag. 865“: *οὐδὲ γὰρ δημηγορίας πολλαῖς ὁ ἀνὴρ* (scil. *Ἡρόδοτος*) *οὐδ’ ἐναγωνίως κέχρηται λόγοις οὐδ’ ἐν τῷ παθαίνειν καὶ δευνοποιεῖν τὰ πράγματα τὴν ἀλήθειαν ἔχει.*

Thucydides igitur primus novam historiae conscribendae rationem instituit orationibus publicis operi insertis. Emanarunt vero quas tam artificiose conformavit orationes cum ex accurata diligentique observatione et contemplatione morum ingeniique hominum, tum ex rara quadam ac singulari rerum Graecarum et condicionum cognitione. Thucydides enim homines esse institutos et ad intellegendum et ad agendum arbitratus, duabus facultatibus in hominibus ipsis positis et cogitandi libertate et agendi voluntate atque vi omnia in hominum vita excogitari et perfici censuit, quibus facultatibus historiam quoque contineri sibi erat persuasum³⁾.

Ac sicuti homo priusquam ad rem sibi propositam accedit aut secum deliberat reputatque et quid sibi qualibet occasione oblata sit faciendum et quid omittendum aut cum aliis disserit hominibus atque disputatione quadam damna et emolumenta quae sibi nasci possint e re praesenti accurate considerat, ita in historia quae hominum vitam factaque depingit et describit fata populorum non solum res ab hominibus singulis vel populis gestas narrandas sed etiam hominum cogitationes atque consilia exprimenda esse jam iudicavit Thucydides. Quarum cogitationum imaginem ut nobis ostenderet proponeretque ante oculos scriptor historiae libris inseruit orationes publice habitas omnibus oratoriis ornamentis atque artificiis instructas.

Agebantur enim belli Peloponnesiaci temporibus in Graecis rebus publicis omnia quae erant suscipienda et gerenda in populi contionibus, quibus quisque civis palam libe-

¹⁾ Cfr. Poppo prolegomena pars I pag. 46 sq.

²⁾ Cfr. Creuzer „historische Kunst der Alten“ p. III pag. 130.

³⁾ Cfr. Creuzer bl. pag. 210: Thucydides verräth durchaus keine epische Ansicht der Begebenheiten, sondern eine kritische; er sieht nur wirkende Menschenkräfte und will aus den Handlungen, insofern sie von Menschen veranstaltet wurden, practische Folgerungen für ähnliche Lagen des gemeinen Lebens ableiten.

neque quid sibi videretur eloqui potuit atque sententiam suam profiteri. Ibi coram populo¹⁾ de gravissimis rebus seu de pace facienda agebatur seu de bello indicendo seu de foedere icendo verba faciebant oratores neque quicquam fuit majoris momenti ac ponderis, quod quidem omnium civium intererat, de quo non publice aut disputatum est aut certe potuit disceptari orationibus. Jure igitur ac merito quoniam omnes res gestae quas in historiae libris narravit Thucydides prodierunt quasi ex libera liberi populi voluntate agendi in commune omnium civium consilium publicum delatae atque orationibus civium animi regebantur ad stabilem et perpetuam in ratione bene considerata perseverantiam, omnes de rebus gravissimis factas meditationes orationibus commendavit historicus neque quemquam effugere potest, orationes ipsas Thucydidas publice ἐν ἐκκλησίᾳ habitas summam ac praecipuam operis totius partem complecti atque comprehendere.

Id enim inter omnes constat, Thucydidem orationibus operi insertis pulcherrima vitae Graecorum publicae monumenta tradidisse, quia principum civitatis vel partium ducum verba sententiaeque insignes iis sunt relatae neque praetermittenda mihi videtur esse eorum opinio, qui historicum in orationibus publicis referendis cum propriam suam naturam atque indolem, tum suum ipsius iudicium de rebus publicis atque contemplationem, quae vocatur pragmaticam posuisse existimant.

Ac omnino necessariae erant in historia illorum temporum conscribenda orationes, ut ita dicam historicae, si vitam Graecorum publicam apte fideque describere voluerunt scriptores atque depingere.

Quam ob causam Thucydides orationes non in oratione indirecta, sed plerumque recta introduxit loquentes, quoniam mente ac cogitatione acriorem et clariorem illorum temporum imaginem ea concipere atque facilius animos, cum vividus nobis versatur ante oculos rerum status condicioque ab ista pictura quasi et imagine traducimus ad rem veritatemque. Orationes vero rectas historico esse praefendas indirectis certe cuique manifesto apparet reputanti in orationibus sicuti vere habitae sint relatis, aptis et dignis artificiosa tractatione cum plurima dicendi artificia tum maximam sermonis vim et splendorem posse adhiberi.

Huc accedit, quod cum variatio quaedam necessaria sit in rerum gestarum narratione ingeniosa, orationes quasi rerum explicationi opponuntur, quo fit, ut meditationes nec jejunae nec languidae animos nostros commoveant atque delectent, quia principes rerum publicarum agentes quasi oculis cernere eorumque verba auribus percipere nobis videamur. Simulque copiosis illis disputationibus, quas reddidit orationibus id effecit historicus, ut cum de gravissimis rebus disceptetur verbis quicumque attento animo pellegat orationes Thucydidas eo perducatur, ut sua sponte rem in deliberationem vocatam dijudicet ac certum iudicium opinionemque suo concipiat animo.

Neque vero omnes, quae belli Peloponnesiaci temporibus habitae sunt orationes operi immiscuit Thucydides²⁾, sed tantum illas, quibus gravissimae res decretae sunt neque omnes quas dixerunt rerum publicarum principes sententias accuratissime reddidit orationibus, sed summam quasi sententiarum ab oratoribus prolatam presse adstrictaque

¹⁾ Cfr. Poppo prol. I pag. 48 et Creuzer hist. Kunst d. Alten pars III pag. 213.

²⁾ Cfr. I, 44: Ἀθηναῖοι δὲ ἀκούσαντες ἀμφοτέρων γενομένης καὶ δις ἐκκλησίας τῆμὲν προτέρε οὐχ ἤσσαν τῶν Κορινθίων ἀπεδέξαντο τοὺς λόγους κ. τ. λ. quibus verbis ipse adfirmat Thucydides, bis ad contionem esse vocatos cives; orationes autem habitas non adfert. Itemque V, 36.

memoriae tradidit posteritatis. Nam quamvis orationes re vera habitae majore certe fuerint ambitu quam quas rettulit historicus, tamen Thucydidem complures orationes in unam ampliolem contraxisse nobis coniciendum est, praesertim cum nobiscum deliberaverimus, quanta sit unaquaque in oratione Thucydidia rerum frequentia atque varietas, quanta sententiarum copia atque crebritas.

Cap. II. De orationum componendarum ratione et arte.

In orationibus publicis instituendis primum Thucydides id spectavit, ut moribus ingenioque responderent auditorum; nam aliam rationem sibi proposuit, cum oratores disputantes indroduxit in populi contionibus, aliam in senatu, aliam in militum concilio. Quapropter diversa quoque ratione oratores alloquuntur auditores, atque rem deliberandam vel elegantibus atque exultis vel nudis atque attenuatis verbis explanant, prout ad senatores vel ad militum civiumque contionem oratio habetur.

Atque cum de gravissimis rebus agitur dijudicandis, tum aut unam ampliolem aut complures interposuit orationes, in quibus semper summas et gravissimas causas adferunt oratores, quae proferri possint ex cujusque statu ac condicione. Verba vero quae faciunt oratores ita composuit historicus, ut oratio quaeque permultum contineat veri neque una alteram possit rescindere ac refutare. Id quod satis ut uno exemplo demonstrem probatur orationibus a Coreyraeorum et Corinthiorum legatis Athenis habitis, quae inveniuntur in primo historiae libro, ad Atheniensium societatem parandam.

Student enim Coreyraei Athenienses ad foedus secum icendum adducere, cum adferant in cap. 33 causas sane graves cur societas et honestati et utilitati futura sit Atheniensibus. Ac primum quidem adfirmant sese ad bellum indicendum Corinthiorum temeritate atque insolentia esse coactos, deinde accuratius explicant, quantum ipsi valeant classi rebusque maritimis. Quod quidem non rescinditur oratione quae sequitur Corinthiorum. Nam hi societatem Atheniensium suo sese jure flagitare profitentur, cum Coreyraeos malitiae atque improbitatis (cap. 37) accusent et causa cur infenso sint animo contra Coreyraeos apposita, illorum petitionem appellent impudentium hominum sollicitationem; nam gratiam sibi deberi quae ut referatur proprium Atheniensium commodum flagitare. Referri autem posse nunc eam maxime summa cum utilitate et praestantium auxilium et accipientium. Tali ratione cum conformaret orationes, id praecipue egit historicus, ut planum redderet quanta esset Atheniensibus difficultas dijudicandi quid hac occasione esset faciendum atque comprobaret viam ab Atheniensibus initam jungendi foedus cum Coreyraeis ad bella repellenda et inferenda (*ἐπιμαχίαν*).

Neque semper continuas operi inferuit orationes sed semel etiam ad hoc quoque dicendi genus excolendum substituere ausus est disputationem quandam in dialogi formam redactam Atheniensium cum Meliis, quae est apud Thucydidem in libri V cap. 84, 3—114¹⁾.

Sicuti autem orationes moribus auditorum accommodatas reddidit Thucydides, ita eas oratorum quoque indoli aptas atque consentaneas conformavit; quare inter orationes tantum est discrimen quantum ducum vel civitatum principum mores ingeniumque inter se diversa sunt. Opinione quidem talis ars scriptoris planius intellegi quam argumentis

¹⁾ Cfr. quae scholasta adnotavit ad hanc disputationem: *ὁ Θουκυδίδης ἔφυγε τὴν συνθήθειαν τοῦ λόγου, οὐχ ἥκιστα δὲ ἐν ταῦθα. ἀντὶ γὰρ δημηγορίας διάλογόν τινα τῶν Μηλίων καὶ Ἀθηναίων ἐτόλμησε συνθεῖναι.*

demonstrari poterit; unum vero exemplum adferam quo discrimen inter orationes a Cleone illo turbulento et a Diodoto moderato habitas luculenter appareat. Nam vel primo obtutu videmus in legendis his orationibus, quae exstant in libro III, Cleonem demagogum illum ferum et ad atrociam promptum magis versari in calumniando quam in persuadendo per victurum, ut atrocissimum supplicium statuatur in Mitylenaeos, Diodotum vero placido quietoque disputandi genere uti atque abhorrere ab offensionibus maledictisque ut auditorum animis persuadeat argumenta illa a Cleone prolata non esse probanda.

Itemque summum discrimen inter est inter orationes a Pericle, Nicia habitas et illas Alcibiadi attributas et in orationum compositione et in verborum ac sententiarum ordine atque delectu.

At persaepe fit, ut belli Peloponnesiaci scriptor nomina appellare omittat oratorum praesertim cum legatus cujus libet civitatis in contione dicat quibus in orationibus quam singulorum oratorum verba indoli moribusque respondere demonstrari non potest, tamen manifesto apparet illa congruere cum civitatis cujus sint legati forma et institutis¹⁾. Quibus intellectis historicum in componendis referendisque orationibus multiplicem variamque adhibuisse rationem pro diversitate et audientium et oratorum ingenii certe vocari non potest in dubitationem.

Et quoniam qua ratione conformaverit orationes exposui, nunc inquirendum mihi esse existimo, in quas partes orationes distribuerit Thucydides. Constat enim inter omnes in orationibus fere unam eandemque esse dispositionem ac partitionem illo quo floruit scriptor tempore haud dubie aequalibus ignotam sed postea ab Aristotele ipso et a Cicerone commendatam. Exhibet enim historicus quinque orationis partes: exordium (*προοίμιον*) narrationem (*διήγησιν*) propositionem (*πρόθεσιν*) contentionem seu fidem (*ἀπόδειξιν καὶ λύσιν* seu *πίσιν*) perorationem (*ἐπίλογον*)²⁾. — Exordium sive prooemium quod praemittitur ab oratore ad auditorum animos sibi conciliandos³⁾ non invenitur nonnullis in orationibus quia haud dubie auditores jam antea rei in populi contione agenda cognitionem ceperant *τῶ τῶν γερόντων προβουλεύματι*, quod necessarium erat priusquam contio convocata est ad rem propositam decernendam⁴⁾. Sin vero praemissum est ab oratore prooemium, non respicit ad rem gerendam, sed plerumque ad oratorem ipsum referendum est, ut benevolentiam captet audientium eorumque sibi colliget animos. Et eadem de causa nonnunquam narrationem quoque omittit historicus in orationibus componendis, quia rerum agendarum status jam antea in medium certe erat prolatus ephorum vel senatorum consilio⁵⁾.

Nec semper exstat in orationibus propositio scil. causae probandae „qua maxime

¹⁾ Hac de causa quicumque versatus est in orationibus Thucydidis adsentietur mihi dicenti orationes illas difficillimas esse explicatu, quod attinet ad rerum et verborum interpretationem.

²⁾ Cfr. Quint. IX, 1; Pfau l. l. pag. 11.

³⁾ Auctor ad Herennium I, 6: Principium est, cum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita sumitur, ut attentos, ut dociles ut benevolos auditores habere possimus.

⁴⁾ Falso mihi Pfau l. l. pag. 11 de hac re iudicasse videtur: „interdum vero cum vehemens nimisque commotus est orator, omnino deest exordium.“ Non enim intellego, quare orator jam in orationis exordio commotus sit atque vehemens; potius nobis censendum esse existimo, ab initio quidem summa animi tranquillitate, progrediente vero oratione commotis verbis disputasse oratorem de re deliberanda.

⁵⁾ Nam Graecos cum legati advenerint aliarum jam ante contionem penitus cognovisse quid vellent legati, mihi non in dubio videtur esse. Cfr. Schömann „griechische Staatsalterthümer“ pars I dag. 392 sq.

nititur oratoris consilium". Contentio vero i. e. argumentatio, cui plerumque adjungitur refutatio adversariorum maximam et gravissimam orationis partem complectitur, qua summa gravitate et ingenii subtilitate oratores commovere student audientium animos, ut rei probandae fidem faciant. Postremo cum rem satis explicasse sibi videatur orator, brevem quidem sed gravem vehementemque addit perorationem, in qua plerumque inest adhortatio quaedam ad auditores facta.

Qua ratione orationes disponendi adhibita ut unam alteramve earum, quas nominavimus partium ommitteret, eo tetendit historicus, ut variatio quaedam efficeretur ex diversitate oratorum indolis atque auditorum, cui apte accommodateque orationes esse compositas jam supra cognovimus. Omnium vero orationum id proprium est, quod una eademque arte conscriptae tantam vim gravitatemque ostendunt, ut in auditorum animis aculeos quasi quosdam reliquisse oporteat.

Cap. III. De veritate fideque quae inest orationibus historica.

Orationes non ita plane, ut re vera habitae sint ad verborum ac sententiarum ordinem delectumque a Thucydide esse relatas cum ex eo jam patet, quod historico occasio non fuit permultas orationes audiendi et calamo excipiendi, tum e comparatione cum iis orationibus, quas exhibent alii quoque historici manifesto elucet. Sed quo magis perpolite et artificiose orationes a Thucydide conformatas cognovimus, quo clarius insigniusque et oratorum et auditorum mores nobis depingunt, eo facilius scriptorem in iis etiamsi alia in forma redditis quam proxime ad sententiam vere dictorum accessisse sumendum est¹⁾. At priusquam certum nostrum iudicium de fide veritateque quae insit orationibus historica proferimus, accuratius inquirendum esse videtur, quantopere veritatis habita sit ratio, quantopere omissa.

Ac primum praemittendum esse existimo Thucydidem singulorum oratorum sermonem et dicendi rationem certe imitatum tamen orationes non in eadem forma qua re vera habitae sint reddere potuisse, quoniam majores fuerunt quam quae superari possent difficultates componendi orationes et cujuslibet oratoris dialecto accommodatas et dicendi generi. Itaque cum omnino fieri non posset, ut orationem aliquam accuratissime memoriae mandaret et quodammodo ad verba restitueret, orationes eodem modo redditas operi inseruit Thucydides, quō singuli oratores quamlibet rem tractaturi ei videbantur. Quam ob causam oratores quoque talia verba facientes introduxit, qualia responderent naturae rei in deliberationem vocatae, temporibus, locis, hominibus, quibus, ubi, per quos haberentur apta atque consentanea²⁾.

Ipse vero historicus de fide historica testimonium edit in historiae libri primi cap. 22: „καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι ἢ μέλλοντες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτῆν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἢν ἐμοίτε ὡν αὐτὸς ἤκουσα καὶ τοῖς ἄλλοθὲν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσιν. ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν αἰεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστα εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύιατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται. Qua voce quid sibi voluerit Thucydides quoniam satis in promptu videtur esse perpaucis mihi in animo est illustrare verbis. Eam enim vim habent illa verba ut significant: Difficile est omnia quae dicta sunt accuratissime ad verborum et sententiarum fidem

¹⁾ Cfr. Roscher „Leben, Werk und Zeitalter des Thucydides“ pag. 149 seq.

²⁾ Cfr. Poppo prol. pars I pag. 47 seq. Pfau, med. crit. pag. 2. Creuzer „hist. Kunst d. Alten“ pag. 213 seq.

memoriae mandare atque reddere. Mea ergo orationum referendarum ratio sic est instituta, (*οὕτως εἴρηται*) prout singulos putabam dicturos forte fuisse (d. h. wie ich glaubte, dass sie etwa unter den obwaltenden Verhältnissen gesprochen haben würden scil. si dixissent); eo enim semper orationibus tetendi et in eo elaboravi, ut quam proxime ad universam sententiam orationum vere habitaram accederem, quare oratores semper disputantes introduxi quam aptissime oratorum indoli et rerum agendarum naturae¹⁾. Quo ex loco sequitur Thucydidem non reddidisse orationes, quae omnino historiae fide carerent, sed tales operi suo addidisse, qualium argumenta in universum congruerent cum argumentis (*ξέμπασα γνώμη*) orationum vere habitaram, quorum verba (*ἀκριβεία*) plus minusve essent Thucydidia. Quare referenda sunt verba illa *ὡς δ' ἂν ἐδόκουν μοι ἕκαστοι περὶ τῶν αἰεὶ παρόντων τὰ δέοντα εἰπεῖν* ad verborum propriam inventionem, id est ad argumentum, non ad orationum formam.

Haec sententia de orationum fide ab historico ipso prolata satis comprobatur verbis, quae leguntur ante et post orationes ipsas „*ἔλεξαν τοιάδε*“ et „*τοιαῦτα εἶπον*“²⁾. — Significare autem potest pronomen *τοιάδε* aut „fere haec“ aut „accurate haec, quae sequuntur“. Pronominibus *οὕτως* et *ὅδε* utitur historicus in referendis certis tabulis³⁾ vel actis publicis vel brevibus epistolis⁴⁾ ita ut pronominibus *οὕτως* et *ὅδε* inesse vim notionemque certam et definitam recte judicemus. Nusquam vero apud Thucydidem pronomen *τοιοῦδε* hac notione usurpatum, sed semper pronominis indefiniti vi adhibitum legitur, ut orationem quae sequitur re quidem vera habitam non ad fidem verborum, sed pro argumento relatum esse nobis sit statuendum. Attamen mirum in modum Thucydidis fidem veritatemque in orationibus instituendis in dubium vocans adfirmat Dionysius Halicarnassensis orationes publicas composuisse scriptorem neque aptas neque convenientes virorum a quibus habitae sint moribus atque oratoribus attribuisse sententias rerum condicioni et temporibus minime accommodatas. Sed vana sunt atque irrita etiam alia permulta quae in orationum adoratione reprehendit criticus ille et quae singula refutare longum est.

Satis enim superque jam rescinduntur verbis Marcellini, qui de fide orationum historica hanc adfert sententiam par 57: *οἱμοὶ δὲ οὐκ ἀγνοῖα σχηματισμοῦ τοῦ κατὰ διάνοιαν παρεῖναι τὸν Θουκυδίδην τὸ τοιοῦτον, ἀλλὰ τοῖς ὑποκειμένοις προσώποις πρόποντας καὶ*

¹⁾ Vischer in mss. Helv. anni 1839 pag. 20: „So wird uns also auch hier dass früher aus der richtigen Auffassung von Thucydides eigener Erklärung gewonnene Ergebniss bestätigt, dass er keine Reden ohne historischen Hintergrund erfunden, sondern bloss wirklich gehaltene in freier idealisirter Umarbeitung wiedergeben wollte.“ — Classen pag. LXVIII: „denn dass Thucydides in seinen Reden den genausten Anschluss an die unmittelbar oder mittelbar wirklich vernommenen und aufgefassten Vorträge sich zur Aufgabe stellt, darüber darf nach seinen eigenen Worten I, 22 kein Zweifel sein. Aber dass diese möglichst treue Annäherung weniger auf die Form, als auf den Gedankeninhalt zu beziehen ist, sagt er ebenso bestimmt in den *ἐχομένῳ ὡς ἐγγύτατα κ. τ. λ.*“

²⁾ Cfr. I, 31; I, 36; I, 44; I, 72; I, 79; I, 85; I, 87; III, 49; III, 86; VI, 88 alios permultos locos.

³⁾ Cfr. IV, 117: *γίγνεται οὖν ἐκ χειρὸς αὐτοῖς καὶ τοῖς ξυμμάχοις ἤδε*. V, 17: *καὶ ἐσπέισαντο πρὸς τοὺς Ἀθηναίους καὶ ὅμοσαν ἐκεῖνοίς πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους τάδε*. Item de brevi Teutiapli oratione III, 29 legitur: *ἔλεξαν αὐτοῖς τάδε*; de brevi Archidami obsecratione II, 74: *λέγων ὅδε* et cap. 75 in. *τοσαῦτα ἐπιθειάσας κ. τ. λ.* I, 85 *ὅδε*, ubi scriptor reddit brevem Sthenelaidae orationem; sequuntur tamen verba *τοιαῦτα λέξας*, non *τοσαῦτα*.

⁴⁾ Cfr. I, 128, 5: *ἐνεγέγραπτο δὲ τάδε ἐν αὐτῇ* (scil. ἐπιστολῇ) *ὡς ὕστερον ἀνευρέθη*. — De epistola Niciae VII, 11—15 legitur *τοιάδε*, sequitur cap. 16 *τοσαῦτα*, non *τοιαῦτα*. —

ἀρμόζοντας συντιθέντα τοὺς λόγους. οὐ γὰρ ἔπρεπε κ. τ. λ. et paulo inferius: διὰ τοῦτο τὸ ἄπλαστον καὶ ἀνηθοποιήτων ἐπειθήδευσε, σώζων κἀν τούτοις τὸ προσήκον καὶ τῇ τέχνῃ δοκοῦν. τεχνίτιον γὰρ ἀνδρὸς φυλάξαι τοῖς προσώποις τὴν ἐπιβάλλουσαν δόξαν καὶ τοῖς πράγμασι τὸν ἀκολουθῶν κόσμον¹⁾.

Optima vero Thucydidi fuit occasio audiendi quas habuit orationes Pericles et quae iis persecutus est consilia, quia tunc Athenis ille commorabatur; quare verba illa (I, 22) ὧν αὐτὸς ἤκουσα ad Periclis orationes potissimum referenda sunt. Pericli enim, qui omnes aequales suos eloquentia et subtili de rebus publicis iudicio longe superabat, tres attribuit orationes historicus, quarum prima (I, 140—144) exponit quibus de causis belli exitus felix faustusque ab Atheniensibus exspectandus sit ut illorum animos permoveat ad bellum Lacedaemoniis indicendum. — Altera vero funebri illa, omnium sine dubio celeberrima, summa cum arte ad Atheniensium civitatis formam et instituta praedicanda comparat vitam eorum liberam, liberalem, „vere vitalem cum tetrica angustaque et aerumnosa Spartanorum disciplina.“ Qua una oratione simul demonstratur non impotentia et dominandi cupidine quae una causa barbaris discordiarum haberi solet, Athenienses et Peloponnesios ad bellum tam atrox tamque diutinum impulsos esse, sed etiam diversa recti honestique aestimatione, iusta sane bellandi causa et ne humanissimis quidem gentibus indigna. Cui orationi funebri adnectitur ab historico tertia ejusdem oratoris suprema, oloris cantui comparanda, quoniam paulo post maxima cum calamitate civitatis ipse occubuit mortem. Hac autem egregia cum animi sublimitate et generositate id praecipue egit, ut Atheniensium animos morbo illo Atticam pervastante et belli calamitatibus gravissime percussos ac demissos erigeret et ad virtutem et in rebus arduis perseverantiam retinendam incitaret. Itaque gravissime depingit mores atque indolem Periclis, cuius nutu et arbitrio omnia in re publica gubernabantur²⁾.

Quibus jam intellectis quoniam fieri non poterat, ut Thucydides omnia quae dixerant civitatum principes vel exercituum duces accuratissime redderet hunc modum a Thucydide servatum esse putamus, ut ea memoriae proderet orationibus quae necessaria essent et ad oratorum imagines effingendas et ad rerum statum condicionemque describenda. Quare quanta fides historica orationibus Thucydidiis insit ut statuamus historicum — id quod unum scriptoris gravitate et operis immortalitati destinati (*οὐκ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχαρῆμα ἀκούειν ἀλλὰ κῆρμα ἐς αἰεὶ*) dignum mihi videtur esse — non finxisse orationes omnino carentes rerum fide historica, sed eas vel ab ipso auditas vel ex audientium memoria repetitas operi ita interposuisse apparet, ut sententiae vere dictae restitutae sint, non verba ipsa³⁾.

Atque haec ars summam nostram admirationem movet, qua usus orationes ita conscripsit Thucydides ut oratorum ipsorum verba animis percipere videamur neque ta-

¹⁾ Cfr. Creuzer l. l. pag. 218. Compares, quae dicit Lucianus de hist. consc. cap. 58: ἦν δέποτε καὶ λόγους ἐροῦντά τινα δεήσῃ εἰσάγειν, μάλιστα μὲν εἰκοῖα τῷ προσώπῳ καὶ τῷ πράγματι οἰκεία λεγέσθω, ἔπειτα ὡς σαφέστατα καὶ ταῦτα.

²⁾ Cfr. Doederlini interpretationem Periclis orationum. Erlangae 1853. 1854. Quartum orationem qua Pericles quo consilio bellum gerendum sit demonstrat indirectam percurrit Thucydides II, 13.

³⁾ Aliquoties meditationes quasdam veluti historici recentioris aetatis tanquam suas protulit Thucydides, ut I, 138 ubi Themistoclis, II, 65 ubi Periclis, VI, 15 ubi Alcibiadis describit indolem; ut II, 65 ubi quibus de causis belli Peloponnesiaci exitus infaustus fuerit, III, 82, cur tot in Graecia seditiones sint exortae exponit aliisque nonnullis locis.

men elegantiae et venustatis modum excessit, quare fit, ut ex Thucydide oratorum mores sentiendique rationem, ex oratoribus vero Thucydidis ipsius iudicium agnoscamus.

Cap. IV. De orationum genere atque natura.

Veteres rhetores dicendi haec genera tria, in quibus versatur oratoris officium, constituerunt: genus demonstrativum (*γένος ἐπιδεικτικόν*, cui quoque attribuitur *γένος πανηγυρικόν*) genus deliberativum (*γένος συμβουλευτικόν*) genus iudiciale (*γένος δικανικόν*)¹⁾. „Demonstrativum est, quod tribuitur in alicujus personae laudem aut vituperationem; deliberativum, quod positum est in disceptatione et consultatione civili habet in se sententiae dictionem: iudiciale, quod positum in iudicio, habet in se accusationem et defensionem aut petitionem aut recusationem“²⁾.

Cui vero generi orationes Thucydidiae sint adscribendae inter viros doctos est sententiarum discrepantia. Veteres enim critici orationes historiae interpositas ad sententiam universam recipiendas esse docuerunt in genus quod vocatur deliberativum, sed orationes operi a Thucydide insertas dispertiendas in tria illa quae nominavimus genera. Id quod non solum veterum rhetorum testimoniis probatur, verum etiam Marcellini verbis, qui generi cuique nonnullas orationes attribuit in vitae Thucydidis par. 42, ubi haec nos docet: „κοινῶς μὲν πᾶσα συγγραφή ἐπὶ τὸ συμβουλευτικόν — ἄλλοι δὲ καὶ ὑπὸ τὸ πανηγυρικὸν ἀνάγουσι, φάσκοσιτες οὐ ἐγκωμιάζει τοὺς ἀρίστους ἐν τοῖς πολέμοις γενομένους — ἐξαιρέτως δὲ ἡ Θουκυδίδου ἐν τοῖς τρισὶν εἶδεσιν ὑποπίπτει, τῷ μὲν συμβουλευτικῷ διὰ τῶν ὄλων δημηγοριῶν πλὴν τῆς Πλαταιέων καὶ Θηβαίων ἐν τῇ τρίτῃ, τῷ δὲ πανηγυρικῷ διὰ τοῦ ἐπιταγίου, τῷ δὲ δικανικῷ διὰ τῆς δημηγορίας τῶν Πλαταιέων καὶ τῶν Θηβαίων, ἃς ἀνωτέρω τῶν ἄλλων ὑπεξελλόμεθα.“

Pleraeque igitur orationes Thucydidiae recte attribuuntur generi deliberativo, quatenus in iis res quaedam deliberatur in utramque partem seu in civium contione seu in senatorum vel ephorum consilio. Neque vero oratio illa Periclis funebris quanquam proxime accedit generi panegyrico jure adscribitur neque orationes Plataeensium et Thebanorum quae exstant in libro tertio, generi iudiciali. Nonnullae autem recipi omnino non possunt in trium generum numerum, veluti orationes illae, quas habent imperatores ad militum animos ante pugnam augendos.

Et quoniam necessarium mihi videtur esse orationes operi ab historico disperse insertas unum quasi sub aspectum subicere, primum paucis perlustrandas esse existimo eas, quas habent legationis principes, quorum nomina appellare omittit Thucydides, deinde illas, quas habent rerum publicarum principes, quibus quoque adjunguntur imperatorum adhortationes ad milites factae.

I. Orationes a legationum principibus habitae.

1) Orationes Corcyraeorum I, 32—36 et Corinthiorum I, 37—43: Athenis habitae ad societatem Atheniensium parandam, de quibus supra jam disputavi.

2) Oratio Corinthiorum I, 68—71: Corinthii Spartae Lacedaemonios tarditatis et lentitudinis accusantes adhortantur ut quam celerrime bellum contra Athenienses mobiles et rerum novarum studiosos incipiant.

3) Oratio Atheniensium I, 73—78: Athenienses qua ratione ad Graeciae prin-

¹⁾ Cfr. Pfau l. l. pag. 9 et Creuzer l. l. pag. 218.

²⁾ Cfr. Cic. de inventionē I, 5 et Quint. 3, 4, 12.

cipatum pervenerint demonstrant atque retinendi imperii causa sociorum temeritatem summa cum severitate coercendam esse contendunt. Lacedaemonios vero hortantur, ut caute agant in consiliis de bello aut pace capiendis.

4) Oratio Corinthiorum I, 120—124: Corinthii bellum quoniam vitari non possit, statim omni sociorum studio gerendum esse adfirmant, ut socii Atheniensium omnes jugum jam diu invisum excutere et sese in libertatem vindicare possint.

5) Oratio Mytilenaeorum III, 9—14: Mytilenaei Olympiae ludis peractis coram sociis Peloponnesiacis postquam defectionem ab Atheniensibus factam comprobaverunt, quanta ab omnibus Graecis percipi possit utilitas ex societate cum ipsis inita ostendunt.

6) Orationes Plataeensium III, 53—59 et Thebanorum III, 61—67: Plataeenses deditione urbis facta coram quinque viris Lacedaemoniorum magna sua in Peloponnesios merita in memoriam revocant et illos obsecrant precibus, ut memores Plataeensium gloriae antiquae aequum iudicium constituent. Qua oratione ne moveantur Lacedaemonii veriti Thebani coram iisdem ipsis quinque viris iudicibus Plataeenses, quia foedus fecerint cum Atheniensibus proditoris accusant et causis cur illorum agros invaserint expositis iudices commovere student, ut quam gravissimum statuatur in Plataeenses iudicium.

7) Oratio Lacedaemoniorum IV, 17—20: Lacedaemonii hoc tempore Atheniensibus et utilem et gloriosam fore pacem aequis condicionibus factam demonstrant.

8) Atheniensium cum Meliis disputatio V, 84, 3—114: Quanquam Athenienses iterum ac saepius Meliis persuadere conantur, non indecorum esse, si in societatem maximae et opulentissimae Atheniensium civitatis recepti libertate conservata agros retineant, tamen insulari injustum atque noxium esse imperium Atheniensium contendunt, gloriosum vero ipsis fore summa cum vi atque fortitudine resistere, ne sua sponte jugum sibi ipsis imposuisse videantur.

II. Orationes a rerum publicarum principibus habitae.

1) Orationes Periclis I, 140—144; II, 35—46; II, 60—64, de quibus confer quae supra commemoravi.

2) Orationes Niciae VI, 9—14: Nicias prohibere conatur quominus sexaginta naves in Siciliam mittantur auxilio rei difficultatem et periculum demonstrans. VI, 20—23 exercitum necessariis rebus omnibus instructum emittendum esse docet. VII, 61—64 Nicias militum animos pugnae calamitatibus depressos adhortatione reficere conatur. VII, 69 adhortatur navium praefectos, VII, 76. 77 milites.

3) Orationes Alcibiadis VI, 16—18: Niciae verba refellens expeditionem in Siciliam suadet prae ceteris sese dignum esse gloriatus, cui imperium hoc mandetur. VI, 89—92: Alcibiades Lacedaemone commorans Lacedaemonios commovere studet ad opem ferendam Syracusanis auxilium petentibus.

4) Orationes Cleonis III, 37—40 et Diodoti III, 42—48: de quibus jam supra dixi.

5) Oratio Euphemi VI, 82—87: qui Hermocratis orationem excipiens Athenienses esse coactos ad bellum Syracusanis indicendum demonstrat, ut socii in Sicilia habitantes libertatem retineant contra imminentem Syracusanorum dominationem.

6) Orationes Archidami I, 80—85: postquam quae sit natura belli cum Atheniensibus gerendi exposuit Lacedaemonios adhortatur, ut omnia quae sint necessaria ad bellum prospere gerendum comparent; nam majorem utilitatem esse exspectandam e ratione caute quam temere agendi. II, 11 adhortatione militum animos reficere conatur.

7) Orationes Brasidae IV, 85—87: Acanthiis Andriorum colonis persuadet, ut sese suumque exercitum benevole in urbem recipiant. V, 9 adhortatur milites et consilium pugnae futurae aperit.

8) Oratio Sthenelaidae I, 86: qui Lacedaemonios incitat ad bellum Atheniensibus indicendum.

9) Orationes Hermocratis IV, 59—64: detectis Atheniensium consiliis adhortatur cives, ut foedere omnium Siciliensium facto viribus contractis hostes adgrediantur. VI, 33. 34 qua ratione Athenienses sane non timendi omnibus navibus collectis devinci possint exponit, si ipsi usque ad Tarentum obviam ire audeant. VI, 76—80 praesentibus ipsis in Camarinensium contione legatis Atheniensium illos commovere studet, ut foedus feriant cum Syracusanis.

10) Oratio Athenagorae VI, 36—40: qui Hermocratis orationem excipiens suspicionem confert in eos qui nuntium attulerint de Atheniensium classis adventu petendi principatum rei publicae studio adducti.

11) Militum adhortationes continent: oratio ducum Peloponnesiacorum II, 87; oratio Phormionis II, 89; oratio Demosthenis IV, 10; oratio Pagondae Thebani IV, 92; oratio Hippocratis IV, 95; oratio Syracusanorum et Gylippi VII, 66—68; oratio Syracusani cujusdam VI, 41.

Apparet igitur omnes orationes Thucydidias meditationes quasdam continere de rerum rationibus consiliisque hominum seu civitatum formam atque instituta nos docent seu mores ingeniumque celeberrimorum principum depingunt seu eorum consilia et agendi principia ostendunt. Quare quoniam res de quibus disputatur ab oratoribus rerum publicarum cognitione instructis semper ad rem publicam pertinent, orationibus vis ac notio historica attribuenda videtur esse.

Atque eadem de causa in orationibus dicendi genus grande (*ύψηλόν, σεμνόν*) secutus est, aptum sane et consentaneum gravitati rerum, quas historia memoriae tradidit posteritatis: id quod comprobatur Marcellini verbis in par. 39: „*τριῶν δὲ ὄντων χαρακτηρισμῶν φραστικῶν ύψηλοῦ, ἰσχυροῦ, μέσου παρὲς τοὺς ἄλλους ἐξήλωσε τὸν ύψηλόν ὡς ὄντα τῆ φύσει πρόσφορον τῆ οἰκείῃ καὶ τῷ μεγέθει πρόποντα τοῦ τοσοῦτου πολέμου. ὧν γὰρ αἱ πράξεις μεγάλαι καὶ τὸν περὶ αὐτῶν ἔπρατε λόγον εἰκέναι ταῖς πράξεσιν.*

Omnium vero orationum, quas operi immiscuit historicus, etsi singulae fere habent singula quibus excellant, communes tamen sunt quaedam non parvae virtutes, quarum maxime apparent ordo atque dispositio sententiarum. Nituntur enim orationes duobus locis justo et utili¹⁾, qua confirmationis vel argumentationis divisione persuadere student oratores audientium animis consilium agendi ab ipsis propositum et utile esse et justum. Quam divisionem ut exempla adferam sibi proposuit Cleon: „*πειθόμενοι μὲν ἐμοὶ τάτε δίκαια ἐς Μυτιληαίους καὶ τὰ ξύμφορα ἅμα ποιήσετε*“ itemque oratio Corcyraeorum I, 32—36 praeter exordium (cap. 32) et brevem perorationem (cap. 36, 3) in duos locos τὸ ὠφέλιμον (cap. 33) et τὸ δίκαιον (cap. 34. 35) discernitur.

Accedit luculenta brevis ad id quod agitur directa omnemque supervacaneum

¹⁾ Cfr. Quint. III, 8, 22: Partes suadendi quidem putaverunt honestum, utile, necessarium. Ego non invenio huic tertiae locum. Quantalibet enim vis ingruat, aliquid fortasse pati necesse erit nihil facere; de faciendo autem deliberatur. — Doctrinam de statibus seu de constitutionibus causarum exhibent: Quint. III, 6; auctor ad Herennium I, 11; II, 2 seq. Cicero de inventione I, 8; II, 4 seq. — Quantopere Thucydidis orationes nitantur illis locis justo et utili id exposuit Spengelius „*συναγωγή τεχνῶν*“ pag. 149 not. 83.

apparatum studiosissime fugiens, quacum arcte cohaeret sublimitas illa in orationibus maxime perspicua. Quae quidem qualis oratorum potissimum est, figurarum usum maxime poscit, quas sophistae ac praecipue Gorgias ut splendidiorem redderent sermonem in orationem pedestrem receperant. Et quoniam Thucydides semper tales viros quales summum in re publica locum tenentes dicendi arte ac gravitate excellebant disputantes facit, quid est mirum, quod sublimia ac rara et a poetis tantum usurpata vocabula adhibuerit?

Sophistarum vero praecepta secutum Thucydidem figurato illo genere dicendi delectatum esse recte jam animadvertit Dionysius. Adfirmat enim: „ἐπὶ τῶν σχηματισμῶν, ἐν οἷς μάλιστα ἐβουλήθη διενεχεῖν τῶν πρὸ αὐτοῦ, πλείστην εἰσενεγκάμενος πραγματείαν“ et paulo post pergit: „εὗροι δ' ἂν τις οὐκ ὀλίγα καὶ τῶν θεατρικῶν σχημάτων κείμενα παρ' αὐτῶ, τὰς παρισώσεις λέγω καὶ παρομοιώσεις καὶ παρονομασίας καὶ ἀνιθέσεις.“

Eadem nos docet Marcellinus par. 36: „ἐξήλωσε δὲ ἐπ' ὀλίγον καὶ τὰς Γοργίου τοῦ Ἀεονίου παρισώσεις καὶ τὰς ἀνιθέσεις τῶν ὀνομάτων εὐδοκίμουσας κατ' ἐκεῖνο καιροῦ παρὰ τοῖς Ἑλλησιν.“

Sententiarum autem figuris sese abstinuisse historicum quippe quae non convenirent Pericli, Brasidae, Archidamo alius viris qui rerum domi militiaeque gestarum gloria ac laude floruerunt, idem grammaticus adfirmat par. 56: „οὔτε γὰρ εἰρωνείαις, οὔτε ἐπιτιμήσεων, οὔτε ταῖς ἐκ πλαγίου ῥήσεων, οὔτε ἄλλαις τισὶ πανουργίαις πρὸς τὸν ἀκροατὴν κέχρηται κ. τ. λ.“

Maximeque sublimitas illa ad dialectum ipsam qua conscripsit orationes historicus Atticam referenda est. Nam quanquam omnes fere scriptores superiores dialecto usu erant Ionica, concursu vocalium molli et quasi extensa ad opera conscribenda ei primus substituit Thucydides dialectum Atticam, in qua quoniam vocalium contractione compressi sermonis formam refert, haud dubie aliquantum sublimitatis et granditatis inest¹⁾.

Neque quisquam brevius simulque verius Thucydidis sublime genus dicendi descripsit Cicerone, qui cum de antiquorum Atticorum dictione disserat, in Bruti cap. 7: „quibus temporibus, inquit, quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tum fuit, intellegi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.“

Et de orat. II, 13: „et post illum (scil. Herodotum) Thucydides omnes dicendi artificia mea sententia facile vicit: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro aptus verbis et pressus, ut nescias utrum res oratione an verba sententiis illustrentur.“

Eandem sententiam adfert Quintilianus, qui in inst. orat. libro X, 1 „densum et brevem et semper instantem“ appellat Thucydidem.

Quatenus vero informando oratorum ingenio inservire possint orationes Thucydidiae, docet Cicero permultis locis, quorum ex numero mihi liceat adferre gravissimos. Utitur enim comparatione quadam certe ingeniosa, ut orationes ad oratorem instituendum minus aptas esse propter nimiam et minus suavem vetustatem ostendat in Bruti cap. 83: „Orationes, ait, quas interposuit (multae enim sunt) eas ego laudare soleo; imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim. Ut, si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimum

¹⁾ Cfr. Creuzer I. I. pag. 222: „Mit einem Worte: der Ausdruck des Thucydidis hat gleichsam 4 Formen, das Poetische in den Worten, das Mannigfaltige in den Figuren, das Rauhe in der Verbindung, die drängende Kürze der Darstellung. Das Colorit desselben ist das Durchdringende, das Gedrängte, das Harte, das Rauhe u. s. w.“

aut Anicium consulem quaerat: (atqui eae notae sunt optimae, credo: sed nimia vetustas nec habet eam, quam quaerimus suavitatem, nec est jam sane tolerabilis. Num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? Minime; sed quandam sequatur aetatem). Sic ego istis censuerim et novam istam, quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam, nec illam praeclaram Thucydidis nimis veterem, tanquam Anicianam notam persequendam. Ipse enim Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior.

Et or. cap. 9: „Thucydides, inquit, res gestas et bella narrat et proelia graviter sane et probe, sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum et publicum — Ipsae illae contiones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intellegantur: quod est in oratione civili vitium vel maximum“ et paulo inferius pergit: „quis unquam graecorum rhetorum a Thucydide quicquam duxit? At laudatus est ab omnibus. Fateor: sed ita ut rerum explicator prudens, severus, gravis; non ut in judiciis versaret causas, sed ut in historiis bella narraret. Itaque nunquam est numeratus orator. Nec vero si historiam non scripsisset, nomen ejus exstaret, cum praesertim fuisset honoratus et nobilis.“

Jam vero restat, ut qua ratione orationes distribuerit Thucydides in singulos historiae libros pauca verba faciam. Nam quanquam in unoquoque sex priorum librorum pariter exhibentur orationes, septimo paucas, nullas octavo interposuit historicus, etsi occasio eloquentiae adhibendae non defuit. Ad cujus rei causam explicandam cum sententiae a viris doctis adhuc prolatae in varias partes discedant, nihil magis consentaneum est atque verisimile, quam auctorem in ipsa operis elaboratione subitam obiisse mortem. Nam cum jam in sexto et multo magis in libris qui sequuntur magnus est eorum locorum numerus qui vitiosi correctione¹⁾ egere videntur, Thucydidem postremos historiae nec diligenter pellegisse nec emendasse pro certe habemus atque explorato. Ex eo vero quod ultimus liber omnino caret orationibus conjecturam et historici et operis gravitate indignam fecerunt nonnulli viri doctissimi Thucydidem eas conscripto jam opere atque perfecto libris inseruisse, sed priusquam extremae quoque historiae parti attribuerit orationes, necopinato vita decessisse; quibus viris ego quidem non adsentior.

Quae cum ita sint, si omnia paucis complectimur, Thucydidem orationes operi ingeniose insertas non solum oratorum et auditorum moribus aptas, sed etiam locis ac temporibus accommodatas ita reddidisse, ut quam proxime accederent orationum vere habituarum argumentationi nobis statuendum est. Orationes vero in veterum historia narrationis erant partes necessariae, sine quibus illa non erat integra. Qua de causa in illis oblivioni eripiendis summo studio incubuerunt veteres historici, quoniam quid momenti orationibus inesset atque ponderis penitus perspectum habebant. Erant enim illae quasi monumenta majorum ingenii, documenta rerum domi militiaeque gestarum. Quapropter permultos et Graecorum et Romanorum scriptores in orationibus publicis instituendis Thucydidem imitandum sibi proposuisse vel ad compositionem atque descriptionem vel ad sententias atque sermonem non est cur miremur. — Quorum ex numero inter Graecos maxime nominandi sunt Dio Cassius, Arrianus, Appianus, Plutarchus, Philistus, quem Cicero paene pusillum Thucydidem vocat, Dionysius ipse, quem acerrimum fuisse Thucydidis adversarium cognovimus: inter Romanos praeter Livium et Nepotem Tacitus et Sallustius, quorum alter universam orationum conformationem a Thucydide repetiit, alter illum non solum in orationum compositione sed etiam in singulis dicendi generibus sententiisque secutus est²⁾.

Georg Roesener.

¹⁾ Cfr. Roscher l. l. pag. 354 seq.

²⁾ Cfr. de orationibus Livianis Teuffel „römische Litteraturgeschichte“ pag. 482 et de Sallustianis Teuffel l. l. pag. 336 seq.

Schulnachrichten.

I. Verfügungen des Königl. Hochlöbl. Provinzial-Schulcollegiums.

1873. 27. October: Bei der Anmeldung zu den Maturitäts-Prüfungen ist zu bemerken, ob sich unter den zu Prüfenden ein Aspirant zur Aufnahme in die Königl. militär-ärztlichen Bildungsanstalten befinde.
15. September: Es ist kein Grund vorhanden, Schüler, welche den Confirmanden-Unterricht besuchen, von dem ordentlichen Religions-Unterricht in den Lehrstunden des Gymnasiums zu dispensiren.
24. October: Ein Ministerial-Rescript, betreffend die Prüfung der Zeichenlehrer, wird mitgeteilt.
27. November: Auf das Centralblatt für das deutsche Reich wird aufmerksam gemacht.
1874. 20. Januar: Schüler unter 12 Jahren haben bei ihrer Aufnahme den Vaccinationschein, Schüler über 12 Jahre den Revaccinationsschein vorzulegen.
23. Februar: Den Schülern der Gymnasien wird die fernere Teilnahme an der Walhalla untersagt.
1873. 21. Juni: } betr. die internationale Ausstellung des Vereins zur Förderung des
1874. 2. März: } Zeichenunterrichts im Jahre 1874.

II. Lehrmittel.

Von Sr. Kaiserlich-Königlichen Hoheit dem Kronprinzen empfing die Bibliothek die Fortsetzung des Landbuches von Berghaus.

Von dem Königl. Hochlöblichen Provinzial-Schulcollegium:

- 1) die Verhandlungen der 3. Directoren-Conferenz in Schlesien,
- 2) Riedel Geschichte des Preusz. Königshauses 1. 2.
- 3) Riedel Zehn Jahre aus der Geschichte der Ahnherren des Preusz. Königshauses.

Von Herrn Prof. Riemann: dessen Geschichte von Colberg nebst Urkundenanhang.
 Von Herrn Kreisgerichtsrath Wellmann hier: dessen Schrift über Geschwornengerichte.

Für diese Geschenke spreche ich hiermit den ehrerbietigsten Dank aus.

III. Lehrverfassung.

Im Lateinischen ist in Prima gelesen: von Cicero die Officien teilweise und de oratore I, von Tacitus der Dialog d. o. von Quintilian Buch X, von Horaz die Oden. — In Secunda von Cicero die catilinarischen Reden, de senectute und de imperio Cn. Pompeji, von Virgil Aeneis Buch 2 und 6. — In Obertertia ist mit Curtius, in Untertertia mit Caesar B. G. fortgefahren. — Zur poetischen Lectüre ist Ovid benutzt.

Im Griechischen ist in Prima Thucydides Buch 1 und 2, von Sophokles der Oedipus und die Antigone, in Secunda Herodot gelesen. In beiden Klassen ist daneben Homer gelesen, in Secunda die Odyssee, in Prima die Ilias.

Im Hebräischen sind in Prima Abschnitte aus der Genesis und ausgewählte Psalmen gelesen.

Im Französischen in Prima Voltaire Mérope und Rodogune, in Secunda Montesquieu sur la grandeur et la décadence des Romains, in Obertertia Michaud histoire des croisades.

Die Pensa der übrigen Disciplinen sind wesentlich unverändert geblieben.

Am Zeichenunterricht haben von den 4 oberen Klassen 18 Schüler teilgenommen.

Ich benutze diese Gelegenheit, um den Eltern unserer Zöglinge von Seiten der Anstalt einige Wünsche ans Herz zu legen, welche das Fortschreiten und die Ausbildung unserer Schüler betreffen.

Auf der Schule wird in gewissen Disciplinen Unterricht erteilt, an denen teilzunehmen dem Ermessen der Zöglinge und ihrer Eltern anheimgegeben ist. Die Schule wünscht, dasz diese Teilnahme, vorausgesetzt dasz hinreichend Anlage dazu vorhanden ist, eine möglichst allgemeine sei. Zu diesen Disciplinen gehört das Zeichnen, der Gesang, das Englische, das Hebräische. Die wirkliche Beteiligung der Schüler an diesen Disciplinen ist eine sehr geringe und eine sich mehr und mehr vermindernde. So haben die englischen Lectionen in Prima aus der Prima selber in diesem Winter nur 4 Schüler besucht; am Hebräischen, dessen Kenntnis nicht blos von dem einstigen Theologen, sondern auch von den Philologen gefordert wird, in Secunda nur 3 Schüler sich beteiligt: 3 von einigen 40 Mitgliedern der Klasse. Eben so verhält es sich mit dem Zeichnen und Singen. Die Schule hat es an Ermahnungen und Vorstellungen nicht fehlen lassen; diese aber bleiben gegenüber der Bequemlichkeit, zum Teil auch der Indolenz, der Schüler fruchtlos, wenn die Eltern uns nicht mit ihrer vollen Auctorität unterstützen und auf Benutzung der dargebotenen Bildungsmittel hinwirken.

Es ist eben so bekümmern für eine Lehranstalt, wahrnehmen zu müssen, wie gleichgültig sich die Eltern vielfach gegen die Klassenprüfungen am Schlusz des Semesters zeigen. Etwaige Redeacte und Declamationen ziehen in der Regel eine Menge Teilnehmer herbei, deren wir uns freuen, mag bei vielen auch das Verlangen, sich zu amüsiren,

das Motiv sein, welches sie herbeiführt. Dagegen geschehen die Prüfungen, durch die wir den Eltern und den Freunden der Anstalt einen Blick in unsere Tätigkeit eröffnen wollen, und zugleich die Gelegenheit bieten, die geistige Regsamkeit und den Fleisz der Knaben und Jünglinge aus eigener Anschauung kennen zu lernen, fast vor leeren Bänken.

In Prima ist eine Teilung in Ober- und Unterprima schon seit einer Reihe von Jahren in Geltung; es bedarf eines Ausweises der Reife durch ein eigenes Examen, um aus der Unterprima nach Oberprima versetzt zu werden. Bei diesem Examen wird, abgesehen von andern Leistungen, gefordert:

1) dasz die zur Versetzung aspirirenden Schüler einen im Ganzen fehlerfreien, von Gefühl für lateinischen Ausdruck zeugenden historischen lateinischen Aufsatz zu schreiben im Stande sind;

2) dasz sie die Fähigkeit und den inneren Trieb zu eigener, freier Tätigkeit besitzen, welche sich in verschiedenen Gebieten bewegen kann, namentlich aber sich in der Privatlectüre lateinischer und griechischer Autoren darlegen wird.

Diese eigene Kraft zum Studium schätzen wir besonders hoch, und haben, in Erwartung, dasz ein Oberprimaner sich bereits, wo etwa Lücken oder Schwächen seines Wissens sind, selbst helfen könne, einem Oberprimaner die Zuflucht zu Privatunterricht bei einem Lehrer nicht gestattet.

Um diese Befähigung zu eigener, freier Tätigkeit noch mehr anzuregen, fertigen die Abiturienten im letzten Semester eine sogenannte Valedictionsarbeit an, zu der sie sich das Thema, unter Zuziehung des betreffenden Lehrers, selbst wählen. Die nötige Musze hierzu gewinnen sie dadurch, dasz ihre anderweitige Tätigkeit zu diesem Behufe modificirt wird. Ich lasse die Titel dieser Valedictionsarbeiten folgen, bemerke aber, dasz diese Arbeiten nicht auf philologische Stoffe sich beschränken sollen, sondern aus andern Gebieten eben so willkommen sind, und dasz es dabei hauptsächlich darauf ankommt, dasz eine gewisse Selbstständigkeit an den Tag gelegt werde:

1. Dietrich: A Graecis omnem litterarum artiumque culturam esse perfectam.
2. Busch: De elegiacis Graecorum poetis.
3. Jungnickel: Rectene ait Polybius, Romanos non fortunae, sed consilio atque prudentiae ceterisque virtutibus orbis terrarum imperium debere?
4. Wetzl: De diis Homericis.
5. Feldmann: De Nausicaa.
6. Wendt: De vita ingenio moribusque Horatii.
7. Krause: De tyrannide Graecorum.
8. Salomon: Quae sit condicio mulierum Homericarum.
9. Seeler: Quae fuerit condicio servarum Homericarum.
10. Arndt: De laudibus trium maximorum Athenarum virorum, Solonis, Themistoclis, Periclis agitur.
11. Stöhr: Quo consilio et quo eventu Sulla rempublicam Romanam legibus et institutis confirmare studuerit.
12. Schultz: Thucydide duce Atheniensium et Lacedaemoniorum instituta conferuntur.
13. Kobow: Quae familiaritas intercesserit inter Maecenatem et amicos ejus.

Diese Einrichtungen sind zum Teil neu und im Werden und haben noch nicht eine volle Wirkung, in Beziehung auf Erziehung zur Freiheit und Selbstständigkeit, aus-

üben können, werden aber, mit Beharrlichkeit verfolgt, nicht verfehlen, eine gesegnete Frucht zu tragen.

IV. Zur Chronik des Gymnasiums.

Im Lehrercollegium haben keine weiteren Veränderungen stattgefunden, als dasz Herr Dr. Roesener aus Demmin in die vacante Lehrstelle eintrat. Er ist jetzt definitiv als Collaborator gewählt worden.

Der Gesundheitszustand im Lehrercollegium ist während des verflossenen Schuljahres ein sehr erfreulicher gewesen. Nur der unterzeichnete Director wurde gleich nach den Sommerferien von einem Schlaganfall getroffen und dadurch längere Zeit seiner Tätigkeit entzogen. Mit innigem Danke erkennt er hier die aufopfernde und hilfreiche Liebe seiner Amtsgenossen an, welche sofort bereitwilligst für ihn eintraten, so dasz der Unterricht, namentlich in Prima, keine Art von Störung erlitt. Herr Prof. Riemann übernahm die Direction der Anstalt und einen Teil des lateinischen Unterrichts, Herr Dr. Günther und Herr Dr. Roesener den griechischen und den übrigen Teil des lateinischen Unterrichts. Die hierdurch notwendig gewordenen Vertretungen in anderen Klassen nahmen die übrigen Herren Collegen bereitwilligst auf sich. Das Wohllobliche Curatorium des Gymnasiums beschloss, den Director auch für den Winter in einem grossen Teil seiner Lectionen vertreten zu lassen; da aber keine Lehrkraft für diesen Zweck zu gewinnen war, übernahm der Director nach Michaelis wieder seine früheren Lectionen. Für diese Teilnahme des Curatoriums und seiner Amtsgenossen spricht er hiermit noch einmal seinen tiefgefühlten Dank aus.

Die Schule verlor im Laufe des Sommers am 22. Juni 1873 einen hoffnungsvollen Zögling Max Starck aus Greifenberg, welcher beim Baden verunglückte. Die Eltern unserer Zöglinge werden bei dieser Gelegenheit in Kenntnis gesetzt, dasz von Seiten des Gymnasiums ein bestimmter Badeplatz für das Baden bezeichnet wird, an welchem eine grössere Anzahl von erwachsenen Schülern abwechselnd zu bestimmten Tageszeiten die Aufsicht führt. Durch diese Anordnung, welche wir seit Beginn der Anstalt getroffen und durchgeführt haben, ist bis jetzt ein so schmerzlicher Unglücksfall, von dem Lehrer und Schüler gleich tief ergriffen wurden, verhütet worden.

Das Gymnasium beging auch in diesem Jahre den Tag von Sedan, am Morgen durch eine Schulfeier, bei welcher Herr Prof. Riemann die Festrede hielt, am Nachmittage durch einen Ausflug nach dem schönen Walde unseres Lebbin, dem sich am Abend noch ein Ball anschloss, zu welchem Herr Kreisgerichtsrath Wellmann die Schüler der oberen Klassen freundlichst eingeladen hatte.

Am 15. October feierte das Gymnasium in gewohnter Weise seinen Stiftungstag, den Geburtstag Sr. hochseligen Majestät. Unser College Herr Koennecke hielt bei dieser Feier die Festrede. Am Schlusz derselben erteilte der Director, Namens des Curatoriums dieser Prämienstiftung, folgende Prämien an folgende Schüler der vier oberen Klassen:

1. Paul Dietrich aus Prima empfang Nägelsbach lateinische Stilistik,
2. Otto Busch aus Secunda den Herodot von Lange,
3. Wilhelm Mielke aus Secunda die Gedichte von Arndt,

4. Heinrich Becker aus Obertertia den Homer von Vosz,

5. Franz Obert aus Untertertia das Lesebuch aus Livius von Goldschmidt.

Den Geburtstag Sr. Majestät des Kaisers und Königs beging das Gymnasium durch eine Schulfeier, bei der der College Herr Dr. Roesener die Festrede hielt.

Im Anfang des Winters begleitete eine Anzahl Schüler den Director zur Feier der heiligen Communion.

In dem verflossenen Schuljahre haben am 27. September und 14. Februar unter dem Vorsitz des Königl. Provinzial-Schulrats Herrn Dr. Wehrmann und am 4. März d. J. unter dem Vorsitz des Königl. Superintendenten Herrn Henckel zu Greiffenberg Maturitäts-Prüfungen stattgefunden, bei welchen folgende Abiturienten das Zeugnisz der Reife erwarben:

1. August Wilhelm Gottfried Beister aus Armheide, 19 Jahre alt, Sohn des Lehrers an der Vorschule Herrn Beister. Er studirt in Berlin die Rechte.

2. Johannes Albrecht Hoppe aus Pagenkopf, 22 $\frac{1}{4}$ Jahre alt, Sohn eines Lehrers zu Pagenkopf. Er studirt Theologie in Greifswald.

3. Gustav Adolf Boldt aus Mandelkow, 22 $\frac{3}{4}$ Jahre alt, Sohn eines verstorbenen Bauergutsbesitzers zu Mandelkow. Er studirt die Rechte in Berlin.

4. Ernst Ludwig Mitzlaff aus Stettin, 18 $\frac{1}{4}$ Jahre alt, Sohn eines verstorbenen Kreisgerichts-Secretairs zu Naugard. Er hat bis jetzt aus Gesundheitsrücksichten noch nicht die Universität beziehen können.

5. Karl Ferdinand Knappe aus Biepostock, 19 $\frac{1}{4}$ Jahre alt, Sohn des Rittergutsbesitzers Herrn Knappe in Alt-Storkow. Er studirt Medicin in Berlin.

6. Max Wilhelm Eduard Blumenthal aus Poelitz, 17 $\frac{1}{2}$ Jahre alt, Sohn des hiesigen Kreisgerichtsrats Herrn Blumenthal. Er studirt in Leipzig Philologie.

7. Ernst Friedrich Wilhelm Karl Rudolf Fischer aus Anclam, 20 $\frac{1}{2}$ Jahre alt, Sohn eines verstorbenen Kreis-Physicus zu Schlawe. Er studirt in Berlin die Rechte.

8. Maximilian Victor Weyland aus Buslar, 19 $\frac{1}{2}$ Jahre alt, Sohn eines Gutsbesitzers zu Gust. Er studirt in Halle die Rechte.

9. Paul Hermann Dietrich aus Greiffenberg, 18 Jahre alt, Sohn des Oberlehrers und Conrectors Herrn Dietrich zu Greiffenberg. Er wird in Halle Philologie studiren.

10. Paul Friedrich Heinrich Busch aus Bandekow, 19 Jahre alt, Sohn des verstorbenen Pastor Busch zu Bandekow. Er hat die Postcarriere gewählt.

11. Alfred Eugen Jungnickel aus Lenzen, 18 Jahre alt, Sohn des hiesigen Arztes Herrn Dr. Jungnickel. Er wird Medicin studiren.

12. Georg Moritz Adolf Wetzell aus Plathe, 17 $\frac{1}{2}$ Jahre alt, Sohn des Pastor Herrn Wetzell zu Plathe. Er wird Philologie und Theologie studiren.

13. Max Feldmann aus Greiffenberg, 18 $\frac{1}{4}$ Jahre alt, Sohn eines hiesigen Kaufmanns. Er wird die Rechtswissenschaft studiren.

14. Karl August Eduard Otto Wendt aus Maldewin, 21 $\frac{1}{4}$ Jahre alt, Sohn eines Bauerhofsbesitzers zu Maldewin. Er wird in Leipzig Philologie studiren.

15. Max Eugen August Krause aus Labes, 20 Jahre alt, Sohn eines Kreisgerichts-Rendanten zu Cammin. Er wird in Greifswald Medicin studiren.

16. Hermann Salomon aus Langkavel, 19 $\frac{1}{4}$ Jahre alt, Sohn eines Kaufmanns zu Naugard. Er wird Mathematik und Physik studiren.

17. Hugo Seeler aus Greiffenberg, $17\frac{3}{4}$ Jahre alt, Sohn eines hiesigen Kaufmanns. Er hat sich dem Studium der Rechte gewidmet.

18. Georg Arndt aus Regenwalde, $19\frac{1}{4}$ Jahre alt, Sohn eines practischen Arztes zu Regenwalde. Er hat sich dem Studium der Medicin gewidmet.

19. Johannes August Ferdinand Stöhr aus Zanow, $20\frac{1}{2}$ Jahre alt, Sohn des Irrenanstalts-Inspectors Herrn Dr. Stöhr zu Rügenwalde. Er wird die Rechte studiren.

20. Oscar Gustav Wilhelm Richard Kobow aus Lauenburg in Pommern, $18\frac{1}{4}$ Jahre alt, Sohn eines Kreisgerichts-Secretairs zu Colberg. Er wird Jura studiren.

21. Franz Friedrich Schultz aus Zanow, $21\frac{1}{4}$ Jahre alt, Sohn eines verstorbenen Apothekers zu Zanow. Er hat sich der militärischen Laufbahn gewidmet.

Von diesen Abiturienten sind Mitzlaff und Dietrich von der mündlichen Prüfung dispensirt worden.

Die Aufgaben der schriftlichen Prüfung waren folgende:

1. Deutscher Aufsatz:

Michaelis 1873: Warum wird Karl dem Groszen mit Recht dieser Beiname beigelegt?

Ostern 1874: Welches sind die Bande, die uns an das Vaterland knüpfen?

2. Lateinischer Aufsatz:

Michaelis 1873: Quod Virgilius dicit Romanis tributum esse, ut parcerent subjectis ac debellarent superbos, id num illi vere praestitisse videantur?

Ostern 1874: Melesippus ex Attica discedens, hic dies, inquit, omnibus Graecis multorum malorum initium erit. Demonstretur id verissime dictum esse.

3. Mathematische Arbeit:

Michaelis 1873:

a) In welcher Zeit wird ein zu $4\frac{1}{4}\%$ auf Zinseszins verborgtes Capital doppelt so grosz sein, als wenn dasselbe zu 4% auf Zinseszins verborgt wäre?

b) Die Grundfläche eines Parallelepipedums ist ein Rhombus, von welchem die Seite = a und die Summe der beiden Diagonalen = b gegeben ist. Wie grosz ist das Volumen des Parallelepipedums, wenn die Höhe desselben = der gröszeren Diagonale der Grundfläche ist?

c) Von einem Dreiecke ist die Summe zweier Seiten = s, die Differenz ihres Gegenwinkels = δ und der Radius des umschriebenen Kreises = r gegeben.

d) Man soll ein Dreieck zeichnen, von welchem 2 Seiten, a und b, gegeben sind und dessen dritte Seite = der zugehörigen Höhe ist.

Ostern 1874:

a) Es kauft Jemand für 540 Thlr. eine Anzahl Schafe à 5 Thlr., Schweine à 12 Thlr. und Kühe à 40 Thlr. Hätte er 8 Schafe und 5 Schweine mehr gekauft, so hätte er für die Schafe und Schweine so viel gezahlt, als er für die Kühe gezahlt hat; für die Schafe aber und für die halbe Anzahl der Schweine hätte er so viel gezahlt, als für die halbe Anzahl der Kühe. Wie viel Schafe, Schweine und Kühe kaufte er?

b) Von einem rechtwinkligen Dreiecke ist der Ueberschusz der Katheten-Summe über die Hypotenuse = d und der Flächeninhalt = f gegeben. Wie grosz sind die Seiten?

- c) Der Umfang des Achsenschnitts eines graden Kegels ist $= s$ und φ an der Spitze $= a$ gegeben: Mantel und Volumen des Kegels zu berechnen.
 d) Von einem Dreiecke ist die Halbierungslinie eines φ und die Transversale und Höhe zur Gegenseite dieses φ gegeben: das \triangle zu construiren.

V. Frequenz des Gymnasiums.

Sommer 1873.		Winter 18 ⁷³ / ₇₄ .	
Prima	36 Schüler.	Prima	37 Schüler.
Secunda	42 "	Secunda	46 "
Obertertia	34 "	Obertertia	26 "
Untertertia	28 "	Untertertia	30 "
Quarta	28 "	Quarta	29 "
Quinta	22 "	Quinta	27 "
Sexta	29 "	Sexta	28 "
Summa	229 Schüler.	Summa	223 Schüler.
Vorschule	19 "	Vorschule	22 "

VI. Prüfung der Klassen.

Am 26. März Vormittag von 8 Uhr an:

- Prima: Horaz, der Director.
 Mathematik, Herr Dietrich.
 Secunda: Geschichte, Herr Prof. Riemann.
 Obertertia: Griechisch, Herr Dr. Günther.
 Geschichte, Herr Koennecke.
 Untertertia: Latein, Herr Dr. Domke.
 Entlassung der Abiturienten.

Nachmittag von 2 Uhr an:

- Quarta: Latein, Herr Dr. Fahland.
 Geschichte, Herr Dr. Schmidt.
 Quinta: Latein, Herr Dr. Roesener.
 Rechnen, Herr Todt.
 Sexta: Latein, Herr Todt.
 Vorschule: Deutsch, Herr Beister.

Das neue Schuljahr beginnt Montag, 13. April, um 8 Uhr. Zur Prüfung neu aufzunehmender Schüler bin ich in den letzten Ferientagen bereit.

Dr. Campe.

Verteilung der Lehrstunden im Schuljahre 1873/74.

Lehrer.	Ord.	I.	II.	IIIa.	IIIb.	IV.	V.	VI.	Im Ganzen
Dr. Campe, Director.	I.	Latin Griechisch 8 6							14
Prof. Riemann, Prorector.	II.	Deutsch Geschichte 3 3	Latin Geschichte 10 3						19
Dietrich, Comrector.		Mathematik Physik 4 2	Mathematik Physik 4 1	Mathematik 4	Mathematik 4	Mathematik 3			22
Dr. Günther, Subrector.	IIIa.		Griechisch 6	Latin Griechisch 10 6					22
Dr. Domke, 1. ord. Lehrer.	IIIb.	Französisch Englisch 2 2	Französisch 2		Religion Latin Griechisch 2 8 6				22
Dr. Schmidt, 2. ord. Lehrer.			Englisch 2	Französisch 3	Ovid 2	Französisch Geschichte 2 3	Französisch Geographie 3 2	Deutsch Geographie 4 2	23
Koennecke, 3. ord. Lehrer.		Religion Hebräisch 2 2	Religion Hebräisch Deutsch 2 2 2	Religion Gesch. Geogr. Deutsch 2 3 2	Geschichte 3		Religion 3		23
Dr. Faland, 4. ord. Lehrer.	IV.				Französisch 3	Religion Deutsch Latin Griechisch 2 2 10 6			23
Todt, Gymn.-Lehrer.	VI.	Chor				Zeichnen	Rechnen Schreiben	Latin 3 10 3 6 3	25
Dr. Roesener, Collaborator.	V.				Deutsch 2		Deutsch Latin Religion 3 10 3	Rechnen 4	22
Beister, Lehrer der Vorsch.							Nat. Beschr. 2	Nat. Beschr. 2	4